

Doc. 3

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 3

[1234, primavera?]

Divina docente scriptura didicimus quod «in ylaritate vultus regis vita et eius clementia sicut imber serotinus»: quorum utrumque hactenus in principe nostro invenimus, unde nostra erat segura vita. Nunc autem peccatis nostris exigentibus avertit dominus noster faciem suam retrorsum nec curare vult de vinea quam plantavit, ad cuius destructiones multi emulatores extendunt manus suas et eam sicut vulpecule moliuntur, non attendentes iniuriam fieri serenissimo, si tam brevi tempore nobilis plantatio studii dissipetur.

Ecce siquidem in nobis illud propheticum figuratur: «in Egyptum descendit populus meus, ut colonus esset ibi, et Assur iniuste callumpniatus est eum», dum vocati ad amenissimam, immo amarissimam civitatem Neapolis afflictionis recordemur de preterito, de futuro nil aliud expectantes, nisi ut lateribus et palee serviamus. Verum omnibus hiis maior nobis dolor excrescit, quod omnino Bononia, cuius ubera dessiccata erant, vera facta est prophetissa, que contra studium Neapolitanum prophetavit dicens ipsum esse concerptum et destructibile, quod fieri non posset, si voluntas opificis, que maior est nexu, impermutabilis permaneret.

Cum igitur tanti principis tantum opus non tamen cito nullo modo perire debeat, magisterium vestrum duximus totis affectibus exorandum, quatinus vos, qui estis in auribus principis solius veritatis interpretes, ostendere sibi dignemini, quid in hoc casu imperialem deceat maiestatem.

4

3

4

5

6

Cfr. Petrus de Vineia, *Epist.*, III 45 (= Nicola da Rocca, *Epistolae* cit., n. 15, p. 33). Cfr. anche il doc. 10. L'uso di questa immagine potrebbe rimandare anche a un gioco di parole sul nome di Pier della Vigna.

Cfr. *Cant.*, 2, 15.

Is., 52, 4.

Cfr. *Decret. Greg. IX*, I 23, 9 (= *Corpus iuris canonici*, ed. Friedberg cit., II, col. 152).